

COLLOQUI / COLLOQVI

quod tu in docendo potes...

10

sabato 5, domenica 6 e lunedì 7 ottobre 2013

Casa di accoglienza "Il Carmine"

S. Felice del Benaco (BS)



Benaci Sinus felix (San Felice del Benaco)

M. Tullius Cicero • Cornelius Nepos • Q. Horatius Flaccus • Albius Tibullus • Sextus Propertius
Valerius Maximus • Titus Livius • C. Plinius Caecilius Secundus • Cornelius Tacitus
Aulus Gellius • Flavius Eutropius • Flaccus Albinus Alcuinus
Petrus Abelardus • Johannis de Capua
Antonius Galateus De Ferraris
Ludovicus Holbergius
C. Fr. Lhomond

MOS MAIORUM

CICERONIS ACTIONIS IN C. VERREM SECVNDAE LIBER SECVNDVS

2 [4] Denique ille ipse M. Marcellus, cuius in Sicilia virtutem hostes, misericordiam victi, fidem ceteri Siculi perspexerunt, non solum sociis in eo bello consuluit, verum etiam superatis hostibus temperavit. Urbem pulcherrimam Syracusas, — quae cum manu munitissima esset, tum loci natura terra ac mari clauderetur, — cum vi consilioque cepisset, non solum incolumem passus est esse, sed ita reliquit ornatam ut esset idem monumentum victoriae, mansuetudinis, continentiae, cum homines viderent et quid expugnasset et quibus pepercisset et quae reliquisset: tantum ille honorem habendum Siciliae putavit ut ne hostium quidem urbem ex sociorum insula tollendam arbitraretur.

[5] Itaque ad omnis res sic illa provincia semper usi sumus ut, quicquid ex sese posset efferre, id non apud nos nasci, sed domi nostrae conditum iam putaremus. Quando illa frumentum quod deberet non ad diem dedit? quando id quod opus esse putaret non ultro pollicita est? quando id quod imperaretur recusavit? Itaque ille M. Cato Sapiens cellam penariam rei publicae nostrae, nutricem plebis Romanae Siciliam nominabat. Nos vero experti sumus Italico maximo difficillimoque bello Siciliam nobis non pro penaria cella, sed pro aerario illo maiorum vetere ac referto fuisse; nam sine ullo sumptu nostro, coriis, tunicis, frumentoque suppeditando, maximos exercitus nostros vestivit, aluit, armavit.

[6] Quid? illa quae forsitan ne sentiamus quidem, iudices, quanta sunt! quod multis locupletioribus civibus utimur, quod habent propinquam fidelem fructuosamque provinciam, quo facile excurrant, ubi libenter negotium gerant; quos illa partim mercibus suppeditandis cum quaestu compendioque dimittit, partim retinet, ut arare, ut pascere, ut negotiari libeat, ut denique sedes ac domicilium conlocare; quod commodum non mediocre rei publicae est, tantum civium numerum tam prope a domo tam bonis fructuosisque rebus detineri.

[7] Et quoniam quasi quaedam praedia populi Romani sunt vectigalia nostra atque provinciae, quem ad modum vos propinquis vestris praediis maxime delectamini, sic populo Romano iucunda suburbanitas est huiusce provinciae. Iam vero hominum ipsorum, iudices, ea patientia virtus frugalitasque est ut proxime ad nostram disciplinam illam veterem, non ad hanc quae nunc

increbruit videantur accedere: nihil ceterorum simile Graecorum, nulla desidia, nulla luxuries, contra summus labor in publicis privatisque rebus, summa parsimonia, summa diligentia. Sic porro nostros homines diligunt ut iis solis neque publicanus neque negotiator odio sit.

[8] Magistratuum autem nostrorum iniurias ita multorum tulerunt ut numquam ante hoc tempus ad aram legum praesidiumque vestrum publico consilio confugerint, tametsi et illum annum pertulerant qui sic eos adflixerat ut salvi esse non possent, nisi C. Marcellus quasi aliquo fato venisset, ut bis ex eadem familia salus Siciliae constitueretur, et post M. Antoni infinitum illud imperium senserant. Sic a maioribus suis acceperant, tanta populi Romani in Siculos esse beneficia ut etiam iniurias nostrorum hominum preferendas putarent.

[9] In neminem civitates ante hunc testimonium publice dixerunt; hunc denique ipsum pertulissent, si humano modo, si usitato more, si denique uno aliquo in genere peccasset. Sed cum perferre non possent luxuriam, crudelitatem, avaritiam, superbiam, cum omnia sua commoda, iura, beneficia senatus populique Romani unius scelere ac libidine perdidissent, hoc statuerunt, aut istius iniurias per vos ulcisci ac persequi, aut, si vobis indigni essent visi quibus opem auxiliumque ferretis, urbis ac sedes suas relinquere, quandoquidem agros iam ante istius iniuriis exagitati reliquissent.

[10] Hoc consilio ab L. Metello legationes universae petiverunt ut quam primum isti succederet, hoc animo totiens apud patronos de suis miseriis deplorarunt, hoc commoti dolore postulata consulibus, quae non postulata sed in istum crimina viderentur esse, ediderunt. Fecerunt etiam ut me, cuius fidem continentiamque cognorant, prope de vitae meae statu dolore ac lacrimis suis deducerent ut ego istum accusarem, a quo mea longissime ratio voluntasque abhorrebat ; quamquam in hac causa multo pluris partis mihi defensionis quam accusationis suscepisse videor.

[11] Postremo ex tota provincia homines nobilissimi primique publice privatimque venerunt, gravissima atque amplissima quaeque civitas vehementissime suas iniurias persecuta est. At quem ad modum, iudices, venerunt? Videor enim mihi iam liberius apud vos pro Siculis loqui debere quam forsitan ipsi velint: saluti potius eorum consulam quam voluntati. Ecquem existimatis umquam ulla in provincia reum absentem contra inquisitionem accusatoris tantis opibus, tanta cupiditate esse defensum? Quaestores utriusque provinciae qui isto praetore fuerant cum fascibus mihi praesto fuerunt.

M. TVLLI CICERONIS EPISTVLARVM AD FAMILIARES LIBER QVARTVS DECIMVS

I. Scr. Dyrrhachii a. d. VI. Kal. Decembres a.u.c. 696.
Tullius Terentiae suae, Tulliolae suae, Ciceroni suo salutem dicit.

Et litteris multorum et sermone omnium perfertur ad me incredibilem tuam virtutem et fortitudinem esse teque nec animi neque corporis laboribus defatigari. Me miserum! te ista virtute, fide, probitate, humanitate in tantas aerumnas propter me incidisse, Tulliolamque nostram, ex quo patre tantas voluptates capiebat, ex eo tantos percipere luctus! Nam quid ego de Cicerone dicam? qui cum primum sapere coepit, acerbissimos dolores miseriasque percepit. Quae si, tu ut scribis, fato facta putarem, ferrem paulo facilius, sed omnia sunt mea culpa commissa, qui ab iis me amari putabam, qui invidebant, eos non sequebar, qui petebant. Quod si nostris consiliis usi essemus neque apud nos tantum valuisset sermo aut stultorum amicorum aut improborum, beatissimi viveremus: nunc, quoniam sperare nos amici iubent, dabo operam, ne mea valetudo tuo labori desit. Res quanta sit, intellego, quantoque fuerit facilius manere domi quam redire; sed tamen, si omnes tribunos plebis habemus, si Lentulum tam studiosum, quam videtur, si vero etiam Pompeium et Caesarem, non est desperandum. De familia, quomodo placuisse scribis amicis, faciemus. De loco, nunc quidem iam abiit pestilentia, sed, quamdiu fuit, me non attigit. Plancius, homo officiosissimus, me cupit esse secum et adhuc retinet. Ego volebam loco magis deserto esse in Epiro, quo neque Piso veniret nec milites, sed adhuc Plancius me retinet: sperat posse fieri, ut mecum in Italiam decedat; quem ego diem si videro et si in vestrum complexum venero ac si et vos et me ipsum recuperaro, satis magnum mihi fructum videbor percepisse et vestrae pietatis et meae. Pisonis humanitas, virtus, amor in omnes nos tantus est, ut nihil supra possit: utinam ea res ei voluptati sit! gloriae quidem video fore. De Q. fratre nihil ego te accusavi, sed vos, cum praesertim tam pauci sitis, volui esse quam coniunctissimos. Quibus me voluisti agere gratias, egi et me a te certiore factum esse scripsi. Quod ad me, mea Terentia, scribis te vicum vendituram, quid, obsecro te—me miserum!—, quid futurum est? et, si nos premet eadem fortuna, quid puero misero fiet? Non queo reliqua scribere—tanta vis lacrimarum est—, neque te in eundem fletum adducam; tantum scribo: si erunt in officio amici, pecunia non deerit; si non erunt, tu efficere tua pecunia non poteris. Per fortunas miseras nostras, vide, ne puerum perditum perdamus; cui si aliquid erit, ne egeat, mediocri virtute opus est et mediocri fortuna, ut cetera consequatur. Fac valeas et ad me tabellarios mittas, ut sciam, quid agatur et vos quid agatis. Mihi omnino iam brevis exspectatio est. Tulliolae et Ciceroni salutem dic. Valete. D. a d. VI. Kal. Decembr. Dyrrhachio. Dyrrhachium veni, quod et libera civitas est et in me officiosa et proxima Italiae; sed, si offendet me loci celebritas, alio me conferam, ad te scribam.

CORNELI NEPOTIS M. CATO

[2] Consulatum gessit cum L. Valerio Flacco, sorte provinciam nactus Hispaniam citeriorem, exque ea triumphum deportavit. 2 Ibi cum diutius moraretur, P. Scipio Africanus, consul iterum, cuius in priori consulatu quaestor fuerat, voluit eum de provincia depellere et ipse ei succedere neque hoc per senatum efficere potuit, cum quidem Scipio principatum in civitate obtineret, quod tum non potentia, sed iure res publica administrabatur. Qua ex re iratus senatui, consulatu peracto privatus in urbe mansit. 3 At Cato, censor cum eodem Flacco factus, severe praefuit ei potestati. Nam et in complures nobiles animadvertit et multas res novas in edictum addidit, qua re luxuria reprimeretur, quae iam tum incipiebat pullulare. 4 Circiter annos octoginta, usque ad extremam aetatem ab adulescentia, rei publicae causa suscipere inimicitias non destitit. A multis temptatus non modo nullum detrimentum existimationis fecit, sed, quoad vixit, virtutum laude crevit.

[3] In omnibus rebus singulari fuit industria. Nam et agricola sollers et peritus iuris consultus et magnus imperator et probabilis orator et cupidissimus litterarum fuit. 2 Quarum studium etsi senior arripuerat, tamen tantum progressum fecit, ut non facile reperiri possit neque de Graecis neque de Italicis rebus, quod ei fuerit incognitum. Ab adulescentia confecit orationes. Senex historias scribere instituit.

Q. HORATII FLACCI *EPODON LIBER, I I*

«Beatus ille qui procul negotiis,
ut prisca gens mortalium,
paterna rura bobus exercet suis
solutus omni faenore
neque excitatur classico miles truci
neque horret iratum mare
forumque vitat et superba civium
potentiorum limina.
ergo aut adulta vitium propagine
altas maritat populos
aut in reducta valle mugientium
prospectat errantis greges

inutilis falce ramos amputans
 feliciores inserit
aut pressa puris mella condit amphoris
 aut tondet infirmas ovis.
vel cum decorum mitibus pomis caput
 Autumnus agris extulit,
ut gaudet insitiva decerpens pira
 certantem et uvam purpurae,
qua muneretur te, Priape, et te, pater
 Silvane, tutor finium.
libet iacere modo sub antiqua ilice,
 modo in tenaci gramine:
labuntur altis interim ripis aquae,
 queruntur in silvis aves
fontesque lymphis obstrepunt manantibus,
 somnos quod invitet levis.
at cum tonantis annus hibernus Iovis
 imbris nivisque comparat,
aut trudit acris hinc et hinc multa cane
 apros in obstantis plagas
aut amite levi rara tendit retia
 turdis edacibus dolos
pavidumque leporem et advenam laqueo gruem
 iucunda captat praemia.
quis non malarum, quas amor curas habet,
 haec inter obliviscitur?
quodsi pudica mulier in partem iuvet
 domum atque dulcis liberos,
Sabina qualis aut perusta solibus
 pernicis uxor Apuli,
sacrum vetustis exstruat lignis focum
 lassi sub adventum viri
claudensque textis cratibus laetum pecus
 distenta siccet ubera
et horna dulci vina promens dolio
 dapes inemptas adparet:
non me Lucrina iuverint conchylia
 magisve rhombus aut scari,
si quos Eois intonata fluctibus
 hiems ad hoc vertat mare,
non Afra avis descendat in ventrem meum,
 non attagen Ionicus

iucundior quam lecta de pinguissimis
 oliva ramis arborum
aut herba lapathi prata amantis et gravi
 malvae salubres corpori
vel agna festis caesa Terminalibus
 vel haedus ereptus lupo.
has inter epulas ut iuvat pastas ovis
 videre properantis domum,
videre fessos vomerem inversum boves
 collo trahentis languido
positosque vernas, ditis examen domus,
 circum renidentis Laris.»
haec ubi locutus faenerator Alfius,
 iam iam futurus rusticus,
omnem redegit idibus pecuniam,
 quaerit kalendis ponere.

A. TIBULLI ELEGIAE LIBER PRIMVS, I

Divitias alius fulvo sibi congerat auro
 Et teneat culti iugera multa soli,
Quem labor adsiduus vicino terreat hoste,
 Martia cui somnos classica pulsa fugent:
Me mea paupertas vita traducat inertī,
 Dum meus adsiduo luceat igne focus.
Ipse seram teneras maturo tempore vites
 Rusticus et facili grandia poma manu;
Nec spes destituat, sed frugum semper acervos
 Praebeat et pleno pingua musta lacu.
Nam veneror, seu stipes habet desertus in agris
 Seu vetus in trivio florida sarta lapis,
Et quodcumque mihi pomum novus educat annus,
 Libatum agricolae ponitur ante deo.
Flava Ceres, tibi sit nostro de rure corona
 Spicea, quae templi pendeat ante fores,
Pomosisque ruber custos ponatur in hortis,
 Terreat ut saeva falce Priapus aves.
Vos quoque, felices quondam, nunc pauperis agri

Custodes, fertis munera vestra, Lares.
Tunc vitula innumeros lustrabat caesa iuencos,
Nunc agna exigui est hostia parva soli.
Agnam cadet vobis, quam circum rustica pubes
Clamet 'io messes et bona vina date'.
Iam modo iam possim contentus vivere parvo
Nec semper longae deditus esse viae,
Sed Canis aestivos ortus vitare sub umbra
Arboris ad rivos praetereuntis aquae.
Nec tamen interdum pudeat tenuisse bidentem
Aut stimulo tardos increpuisse boves,
Non agnamve sinu pigeat fetumve capellae
Desertum oblita matre referre domum.
At vos exiguo pecori, furesque lupique,
Parcite: de magno est praeda petenda grege.
Hic ego pastoremque meum lustrare quotannis
Et placidam soleo spargere lacte Palem.
Adsitis, divi, neu vos e paupere mensa
Dona nec e puris spernite fictilibus.
Fictilia antiquus primum sibi fecit agrestis
Pocula, de facili composuitque luto.
Non ego divitias patrum fructusque requiro,
Quos tulit antiquo condita messis avo:
Parva seges satis est, satis requiescere lecto
Si licet et solito membra levare toro.
Quam iuvat inmites ventos audire cubantem
Et dominam tenero continuisse sinu
Aut, gelidas hibernus aquas cum fuderit Auster,
Securum somnos imbre iuvante sequi.
Hoc mihi contingat. Sit dives iure, furorem
Qui maris et tristes ferre potest pluvias.
O quantum est auri pereat potiusque smaragdi,
Quam fleat ob nostras ulla puella vias.
Te bellare decet terra, Messalla, marique,
Ut domus hostiles praeferat exuvias;
Me retinent vinctum formosae vincla puellae,
Et sedeo duras ianitor ante fores.
Non ego laudari curo, mea Delia; tecum
Dum modo sim, quaeso segnis inersque vocer.
Te spectem, suprema mihi cum venerit hora,
Te teneam moriens deficiente manu.
Flebis et arsuro positum me, Delia, lecto,
Tristibus et lacrimis oscula mixta dabis.

Flebis: non tua sunt duro praecordia ferro
 Vincta, neque in tenero stat tibi corde silex.
Illo non iuvenis poterit de funere quisquam
 Lumina, non virgo, sicca referre domum.
Tu manes ne laede meos, sed parce solutis
 Crinibus et teneris, Delia, parce genis.
Interea, dum fata sinunt, iungamus amores:
 Iam veniet tenebris Mors adoperta caput,
Iam subrepet iners aetas, nec amare decebit,
 Dicere nec cano blanditias capite.
Nunc levis est tractanda Venus, dum frangere postes
 Non pudet et rixas inseruisse iuvat.
Hic ego dux milesque bonus: vos, signa tubaeque,
 Ite procul, cupidis volnera ferte viris,
Ferte et opes: ego conposito securus acervo
 Despiciam dites despiciamque famem.

SEXTI PROPERTI ELEGIARVM LIBER QVARTVS, I

"hoc, quodcumque uides, hospes, qua maxima Roma est,
ante Phrygem Aenean collis et herba fuit;
atque ubi Nauali stant sacra Palatia Phoebos,
Euandri profugae concubuerunt boues.
fictilibus creuere deis haec aurea templa,
nec fuit opprobrium facta sine arte casa;
Tarpeiusque pater nuda de rupe tonabat,
et Tiberis nostris aduena bubus erat.
qua gradibus domus ista Remi se sustulit, olim
unus erat fratrum maxima regna focus.
curia, praetexto quae nunc nitet alta senatu,
pellitos habuit, rustica corda, Patres.
bucina cogebat priscos ad uerba Quiritis:
centum illi in prato saepe senatus erat.
nec sinuosa cauo pendebant uela theatro,
pulpita sollemnis non oluere crocos.
nulli cura fuit externos quaerere diuos,
cum tremere patrio pendula turba sacro,
annuaque accenso celebrante Parilia faeno,
qualia nunc curto lustra nouantur equo.
Vesta coronatis pauper gaudebat asellis,
ducebant macrae uilia sacra boues.
parua saginati lustrabant compita porci,
pastor et ad calamos exta litabat ouis.
uerbera pellitus saetosa mouebat arator,
unde licens Fabius sacra Lupercus habet.
nec rudis infestis miles radiabat in armis:
miscabant usta proelia nuda sude.
prima galeritus posuit praetoria Lycmon,
magnaque pars Tatio rerum erat inter ouis.
hinc Titius Ramnesque uiri Luceresque Soloni,
quattuor hinc albos Romulus egit equos.
quippe suburbanae parua minus urbe Bouillae
et, qui nunc nulli, maxima turba Gabi.
et stetit Alba potens, albae suis omine nata,
ac tibi Fidenas longa erat isse uia.
nil patrium nisi nomen habet Romanus alumnus:
sanguinis altricem non putet esse lupam.
huc melius profugos misisti, Troia, Penatis;
heu quali uecta est Dardana puppis aue!
iam bene spondebant tunc omina, quod nihil illam
laeserat abiegni uenter apertus equi,

cum pater in nati trepidus ceruice pependit,
et uerita est umeros urere flamma pios.
tunc animi uenere Deci Brutique secures,
uexit et ipsa sui Caesaris arma Venus,
arma resurgentis portans uictricia Troiae:
felix terra tuos cepit, Iule, deos,
si modo Auernalis tremulae cortina Sibyllae
dixit Auentino rura pianda Remo,
aut si Pergameae sero rata carmina uatis
longaeuum ad Priami uera fuere caput:
"uertite equum, Danai! male uincitis! Ilia tellus
uiuet, et huic cineri Iuppiter arma dabit."
optima nutricum nostris lupa Martia rebus,
qualia creuerunt moenia lacte tuo!
moenia namque pio coner disponere uersu:
ei mihi, quod nostro est paruus in ore sonus!
sed tamen exiguo quodcumque e pectore riui
fluxerit, hoc patriae seruiet omne meae.
Ennius hirsuta cingat sua dicta corona:
mi folia ex hedera porrige, Bacche, tua,
ut nostris tumefacta superbiat Vmbria libris,
Vmbria Romani patria Callimachi!
scandentis quisquis cernit de uallibus arces,
ingenio muros aestimet ille meo!
Roma, faue, tibi surgit opus, date candida ciues
omina, et inceptis dextera cantet auis!
sacra diesque canam et cognomina prisca locorum:
has meus ad metas sudet oportet equus."

VALERII MAXIMI FACTORUM ET DICTORUM MEMORABILIIUM LIBRI NOUEM

II. EXEMPLUM 5. Fuit etiam illa simplicitas antiquorum in cibo capiando humanitatis simul et continentiae certissima index: nam maximis uiris prandere et cenare in propatulo uerecundiae non erat. nec sane ullas epulas habebant, quas populi oculis subicere erubescerent. erant adeo continentiae adtenti, ut frequentior apud eos pultis usus quam panis esset, ideoque in sacrificiis mola quae uocatur ex farre et sale constat. exta farre sparguntur et pullis, quibus auspicia petuntur, puls obicitur. primitiis enim et libamentis uictus sui deos eo efficacius quo simplicius placabant.

VII. INITIUM. Venio nunc ad praecipuum decus et ad stabilimentum Romani imperii, salutari perseuerantia ad hoc tempus sincerum et incolume seruatum, militaris disciplinae tenacissimum uinculum, in cuius sinu ac tutela serenus tranquillisque beatae pacis status adquiescit.

EXEMPLUM 1. P. Cornelius Scipio, cui deleta Karthago auitum cognomen dedit, consul in Hispaniam missus, ut insolentissimos Numantinae urbis spiritus superiorum ducum culpa nutritos contunderet, eodem momento temporis, quo castra intrauit, edixit ut omnia ex his, quae uoluptatis causa comparata erant, auferrentur ac summouerentur: nam constat tum maximum inde institorum et lixarum numerum cum duobus milibus scortorum abisse. hac turpi atque erubescenda sentina uacuefactus exercitus noster, qui paulo ante metu mortis deformi se foederis ictu maculauerat, erecta et recreata uirtute acrem illam et animosam Numantiam incendiis exustam ruinisque prostratam solo aequauit. itaque neglectae disciplinae militaris indicium Mancini miserabilis deditio, seruatae merces speciosissimus Scipionis triumphus extitit.

LIBER III, 2,1 II. DE FORTITVDINE.

INITIUM. Nos quia iam initia procursusque uirtutis patefecimus, actum ipsum persequemur, cuius ponderosissima uis et efficacissimi lacerti in fortitudine consistunt. Nec me praeterit, conditor urbis nostrae, Romule, principatum hoc tibi in genere laudis adsignari oportere. sed patere, obsecro, uno te praecurri exemplo, cui et ipse aliquantum honoris debes, quia beneficio illius effectum est ne tam praeclarum opus tuum Roma dilaberetur.

EXEMPLUM 1. Etruscis in urbem ponte sublicio inrumpentibus Horatius Cocles extremam eius partem occupauit totumque hostium agmen, donec post tergum suum pons abrumperetur, infatigabili pugna sustinuit atque, ut patriam periculo inminente liberatam uidit, armatus se in Tiberim misit. cuius fortitudinem dii immortales admirati incolumitatem sinceram ei praestiterunt: nam neque altitudine deiectus quassatus[ue] nec pondere armorum pressus nec ullo uerticis circuitu actus, ne telis quidem, quae undique congerebantur, laesus tutum natandi euentum habuit. unus itaque tot ciuium, tot hostium in se oculos conuertit, stupentis illos admiratione, hos inter laetitiam et metum haesitantis, unusque duos acerrima pugna consertos exercitus, alterum repellendo, alterum propugnando distraxit. denique unus urbi nostrae tantum scuto suo quantum Tiberis alueo munimenti attulit. quapropter discedentes Etrusci dicere potuerunt: Romanos uicimus, ab Horatio uicti sumus.

EXEMPLUM 2. Immemorem me propositi mei Cloelia facit, paene eadem [enim] tempestate, certe aduersus eundem hostem et in eodem Tiberi inclytum ausa facinus: inter ceteras enim uirgines obses Porsennae data hostium nocturno tempore custodiam egressa equum conscendit celerique traiectu fluminis non solum obsidio se, sed etiam metu patriam soluit, uiris, puella, lumen uirtutis praeferendo.

EXEMPLUM 4. Illi etiam praediuites, qui ab aratro arcescebantur, ut consules fierent, uoluptatis causa sterile atque aestuosissimum Pupinae solum uersabant deliciarumque gratia uastissimas glebas plurimo cum sudore dissipabant? immo uero, quos pericula rei publicae imperatores adserebant, angustiae rei familiaris - quid cesso proprium nomen ueritati reddere? – bubulcos fieri cogebant.

EXEMPLUM 5. Atilium autem, qui ad eum arcessendum a senatu missi erant ad imperium populi Romani suscipiendum, semen spargentem uiderunt. sed illae rustico opere adtritae manus salutem publicam stabilierunt, ingentes hostium copias pessum dederunt, quaeque modo arantium bouum iugum rexerant, triumphalis currus habenas retinuerunt, nec fuit his rubor*<i>* eburneo scipione deposito agrestem stiuiam aratri repetere. potest pauperes consolari Atilius, sed multo magis docere locupletes quam non sit necessaria solidae laudis cupidini anxia diuitiarum comparatio.

EXEMPLUM 6. Eiusdem nominis et sanguinis Atilius Regulus, primi Punici belli qua gloria, qua clades maxima, cum in Africa insolentissimae Karthaginis opes crebris uictoriis contunderet ac prorogatum sibi ob bene gestas res in proximum annum imperium cognosset, consulibus scripsit uilicum in agello, quem vii iugerum in Pupinia habebat, mortuum esse, occasionemque nantum mercennarium amoto inde rustico instrumento discessisse, ideoque petere ut sibi successor mitteretur, ne deserto agro non esset unde uxor ac liberi sui alerentur. quae postquam senatus a consulibus accepit, et agrum Atili ilico colendum locari et alimenta coniugi eius ac liberis praeberi resque, quas amiserat, redimi publice iussit. tanti aerario nostro uirtutis Atilianae exemplum, quo omnis aetas Romana gloriabitur, stetit.

EXEMPLUM 7. Aeque magna latifundia L. Quinti Cincinnati fuerunt: vii enim iugera agri possedit ex hisque tria, quae pro amico ad aerarium subsignauerat, multae nomine amisit. poenam quoque pro filio Caesone, quod ad causam dicendam non occurrisset, huius agelli reditu soluit. et tamen ei quattuor iugera aranti non solum dignitas patris familiae constitit, sed etiam dictatura delata est. anguste se habitare nunc putat cuius domus tantum patet, quantum Cincinnati rura patuerunt.

EXEMPLUM 1. Atque ut uxori quoque fidem attingamus, Tertia Aemilia, Africani prioris uxor, mater Corneliae Gracchorum, tantae fuit comitatis et patientiae, ut, cum sciret uiro suo ancillulam ex suis gratam esse, dissimulauerit, ne domitorem orbis Africanum femina † magnum uirum inpatientiae reum ageret, tantumque a uindicta mens eius afuit, ut post mortem Africani manu missam ancillam in matrimonium liberto suo daret.

EXEMPLUM 2. Q. Lucretium proscriptum a triumuiris uxor Turia inter cameram et tectum cubiculi abditum una conscia ancillula ab imminente exitio non sine magno periculo suo tutum praestitit singularique fide id egit, ut, cum ceteri proscripti in alienis et hostilibus regionibus per summos corporis et animi cruciatus uix euaderent, ille in cubiculo et in coniugis sinu salutem retineret.

EXEMPLUM 3. Sulpicia autem, cum a matre Iulia diligentissime custodiretur, ne Lentulum Crussellionem, uirum suum proscriptum a triumuiris in Siciliam persequeretur, nihilo minus famulari ueste sumpta cum duabus ancillis totidemque seruis ad eum clandestina fuga peruenit nec recusauit se ipsam proscribere, ut ei fides sua in coniuge proscripto constaret.

TITI LIVI AB VRBE CONDITA LIBRI

V 27 Mos erat Faliscis eodem magistro liberorum et comite uti, simulque plures pueri, quod hodie quoque in Graecia manet, unius curae demandabantur. principum liberos, sicut fere fit, qui scientia uidebatur praecellere erudiebat. Is cum in pace instituisset pueros ante urbem lusus exercendique causa producere, nihil eo more per belli tempus intermisso, [dum] modo breuioribus modo longioribus spatiis trahendo eos a porta, lusu sermonibusque uariatis, longius solito ubi res dedit progressus, inter stationes eos hostium castraque inde Romana in praetorium ad Camillum perduxit. Ibi scelesti facinori scelestiorem sermonem addit, Falerios se in manus Romanis tradidisse, quando eos pueros quorum parentes capita ibi rerum sint in potestatem dediderit. Quae ubi Camillus audiuit, "non ad similem" inquit, "tui nec populum nec imperatorem scelestus ipse cum scelesti munere uenisti. Nobis cum Faliscis quae pacto fit humano societas non est: quam ingenerauit natura utrisque est eritque. Sunt et belli, sicut pacis, iura, iustaeque ea non minus quam fortiter didicimus gerere. Arma habemus non aduersus eam aetatem cui etiam captis urbibus parcitur, sed aduersus armatos et ipsos qui, nec laesi nec lacesciti a nobis, castra Romana ad Veios oppugnarunt. Eos tu quantum in te fuit nouo scelere uicisti: ego Romanis artibus, uirtute opere armis, sicut Veios

uincam". Denudatum deinde eum manibus post tergum inligatis reducendum Falerios pueris tradidit, uirgasque eis quibus proditorem agerent in urbem uerberantes dedit. Ad quod spectaculum concursu populi primum facto, deinde a magistratibus de re noua uocato senatu, tanta mutatio animis est iniecta ut qui modo efferati odio iraque Veientium exitum paene quam Capenatium pacem mallent, apud eos pacem uniuersa posceret ciuitas. Fides Romana, iustitia imperatoris in foro et curia celebrantur; consensuque omnium legati ad Camillum in castra, atque inde permissu Camilli Romam ad senatum, qui dederent Falerios proficiscuntur. Introducti ad senatum ita locuti traduntur: "patres conscripti, uictoria cui nec deus nec homo quisquam inuideat uicti a uobis et imperatore uestro, dedimus nos uobis, rati, quo nihil uictori pulchrius est, melius nos sub imperio uestro quam legibus nostris uicturos. Euentu huius belli duo salutaria exempla prodita humano generi sunt: uos fidem in bello quam praesentem uictoriam maluistis; nos fide prouocati uictoriam ultro detulimus. Sub dicione uestra sumus; mittite qui arma, qui obsides, qui urbem patentibus portis accipiant. Nec uos fidei nostrae nec nos imperii uestri paenitebit." Camillo et ab hostibus et a ciuibus gratiae actae. Faliscis in stipendium militum eius anni, ut populus Romanus tributo uacaret, pecunia imperata. Pace data exercitus Romam reductus.

VIII [6] ...ibi in quiete utrique consuli eadem dicitur uisa species uiri maioris quam pro humano habitu augustiorisque, dicentis ex una acie imperatorem, ex altera exercitum Deis Manibus Matrique Terrae deberi; utrius exercitus imperator legiones hostium superque eas se deuouisset, eius populi partisque uictoriam fore. hos ubi nocturnos uisus inter se consules contulerunt, placuit auerruncandae deum irae uictimae caedi; simul ut, si extis eadem quae somnio uisa fuerant portenderentur, alter uter consulum fata impleret. ubi responsa haruspicum insidenti iam animo tacitae religioni congruerunt, tum adhibitis legatis tribunisque et imperiis deum propalam expositis, ne mors uoluntaria consulis exercitum in acie terreret, comparant inter se ut, ab utra parte cedere Romanus exercitus coepisset, inde se consul deuoueret pro populo Romano Quiritibusque. agitata etiam in consilio est ut, si quando unquam seuerum ullum imperio bellum administratum esset, tunc uti disciplina militaris ad priscos redigeretur mores. curam acuebat quod aduersus Latinos bellandum erat, lingua, moribus, armorum genere, institutis ante omnia militaribus congruentes: milites militibus, centurionibus centuriones, tribuni tribunis compares collegaeque iisdem [in] praesidiis, saepe iisdem manipulis permixti fuerant. per haec ne quo errore milites caperentur, edicunt consules ne quis extra ordinem in hostem pugnaret.[7] Forte inter ceteros turmarum praefectos qui exploratum in omnes partes dimissi erant, T. Manlius consulis filius super castra hostium cum suis turmalibus euasit, ita ut uix teli iactu ab statione proxima abesset. ibi Tusculani erant equites; praeerat Geminus Maecius, uir cum genere inter suos tum factis clarus. is ubi Romanos equites insignemque

inter eos praecedentem consulis filium + nam omnes inter se, utique illustres uiri, noti erant + cognouit, 'unane' ait 'turma Romani cum Latinis sociisque bellum gesturi estis? quid interea consules, quid duo exercitus consulares agent?' 'aderunt in tempore' Manlius inquit, 'et cum illis aderit Iuppiter ipse, foederum a uobis uiolatorum testis, qui plus potest polletque. si ad Regillum lacum ad satietatem uestram pugnauius, hic quoque efficiemus profecto ne nimis acies uobis et conlata signa nobiscum cordi sint.' ad ea Geminus paulum ab suis equo prouectus: 'uisne igitur, dum dies ista uenit qua magno conatu exercitus moueatis, interea tu ipse congredi mecum, ut nostro duorum iam hinc euentu cernatur quantum eques Latinus Romano praestet?' mouet ferocem animum iuuenis seu ira seu detractandi certaminis pudor seu inexsuperabilis uis fati. oblitus itaque imperii patrii consulumque edicti, praeceps ad id certamen agitur, quo uinceret an uinceretur haud multum interesset. equitibus ceteris uelut ad spectaculum submotis, spatio, quod uacui interiacebat campi, aduersos concitant equos; et cum infestis cuspidibus concurrissent, Manlii cuspis super galeam hostis, Maeci trans ceruicem equi elapsa est. circumactis deinde equis, cum prior ad iterandum ictum Manlius consurrexisset, spiculum inter aures equi fixit. ad cuius uulneris sensum cum equus prioribus pedibus erectis magna uis caput quateret, excussit equitem, quem cuspidem parmaeque innixum attollentem se ab graui casu Manlius ab iugulo, ita ut per costas ferrum emergeret, terrae adfixit; spoliisque lectis ad suos reuectus cum ouante gaudio turma in castra atque inde ad praetorium ad patrem tendit, ignarus fati futurique, laus an poena merita esset. 'ut me omnes' inquit, 'pater, tuo sanguine ortum uere ferrent, prouocatus equestria haec spolia capta ex hoste caeso porto.' quod ubi audiuit consul, extemplo filium auersatus contionem classico aduocari iussit.

[8] Quae ubi frequens conuenit, 'quandoque' inquit, 'tu, T. Manli, neque imperium consulare neque maiestatem patriam ueritus, aduersus edictum nostrum extra ordinem in hostem pugnasti et, quantum in te fuit, disciplinam militarem, qua stetit ad hanc diem Romana res, soluisti meque in eam necessitatem adduxisti, ut aut rei publicae mihi aut mei [meorum] obliuiscendum sit, nos potius nostro delicto plectemur quam res publica tanto suo damno nostra peccata luat; triste exemplum sed in posterum salubre iuuentuti erimus. me quidem cum ingenua caritas liberum tum specimen istud uirtutis deceptum uana imagine decoris in te mouet; sed cum aut morte tua sancienda sint consulum imperia aut impunitate in perpetuum abroganda, nec te quidem, si quid in te nostri sanguinis est, recusare censeam, quin disciplinam militarem culpa tua prolapsam poena restituas + i, lictor, deliga ad palum'. exanimati omnes tam atroci imperio nec aliter quam in se quisque destrictam cernentes securem metu magis quam modestia quieuerunt. itaque uelut demerso ab admiratione animo cum silentio defixi stetissent, repente, postquam ceruice caesa fusus est cruor, tam libero conquestu coortae uoces

sunt, ut neque lamentis neque execrationibus parceretur spoliisque contextum iuuenis corpus, quantum militaribus studiis funus ullum concelebrari potest, structo extra uallum rogo cremaretur, Manlianaque imperia non in praesentia modo horrenda sed exempli etiam tristis in posterum essent. fecit tamen atrocitas poenae oboedientiores duci militem; et praeterquam quod custodiae uigiliae et ordo stationum intentioris ubique curae erant, in ultimo etiam certamine, cum descensum in aciem est, ea seueritas profuit.

G. PLINII SECUNDI, EPISTOLAE

I, 14 C. PLINIUS IUNIO MAURICO SUO S.

[1] Petis ut fratris tui filiae prospiciam maritum; quod merito mihi potissimum iniungis. Scis enim quanto opere summum illum virum suspexerim dilexerimque, quibus ille adulescentiam meam exhortationibus foverit, quibus etiam laudibus ut laudandus viderer effecerit. [2] Nihil est quod a te mandari mihi aut maius aut gratius, nihil quod honestius a me suscipi possit, quam ut eligam iuvenem, ex quo nasci nepotes Aruleno Rustico deceat. [3] Qui quidem diu quaerendus fuisset, nisi paratus et quasi provisus esset Minicius Acilianus, qui me ut iuuenis iuvenem (est enim minor pauculis annis) familiarissime diligit, reueretur ut senem. [4] Nam ita formari a me et institui cupit, ut ego a vobis solebam. Patria est ei Brixia, ex illa nostra Italia quae multum adhuc verecundiae frugalitatis, atque etiam rusticitatis antiquae, retinet ac servat. [5] Pater Minicius Macrinus, equestris ordinis princeps, quia nihil altius voluit; allectus enim a Divo Vespasiano inter praetorios honestam quietem huic nostrae (ambitioni dicam an dignitati?) constantissime praetulit. [6] Habet aviam maternam Serranam Proculam e municipio Patavio. Nosti loci mores: Serrana tamen Patavinis quoque severitatis exemplum est. Contigit et avunculus ei P. Acilius gravitate prudentia fide prope singulari. In summa nihil erit in domo tota, quod non tibi tamquam in tua placeat. [7] Aciliano vero ipsi plurimum vigoris industriae, quamquam in maxima verecundia. Quaesturam tribunatum praeturam honestissime percucurrit, ac iam pro se tibi necessitatem ambiendi remisit. [8] Est illi facies liberalis, multo sanguine multo rubore suffusa, est ingenua totius corporis pulchritudo et quidam senatorius decor. Quae ego nequaquam arbitror negligenda; debet enim hoc castitati puellarum quasi praemium dari. [9] Nescio an adiciam esse patri eius amplas facultates. Nam cum imaginor vos quibus quaerimus generum, silendum de facultatibus puto; cum publicos mores atque etiam leges civitatis

intueor, quae vel in primis census hominum spectandos arbitrantur, ne id quidem praetereundum videtur. Et sane de posteris et his pluribus cogitanti, hic quoque in condicionibus deligendis ponendus est calculus. [10] Tu fortasse me putes indulsisse amori meo, supraque ista quam res patitur sustulisse. At ego fide mea spondeo futurum ut omnia longe ampliora quam a me praedicantur invenias. Diligo quidem adolescentem ardentissime sicut meretur; sed hoc ipsum amantis est, non onerare eum laudibus. Vale.

III, 16 C. PLINIUS NEPOTI SUO S.

[1] Adnotasse videor facta dictaque virorum feminarumque alia clariora esse alia maiora. Confirmata est opinio mea hesterno Fanniae sermone. Neptis haec Arriae illius, quae marito et solacium mortis et exemplum fuit. Multa referebat aviae suae non minora hoc sed obscuriora; quae tibi existimo tam mirabilia legenti fore, quam mihi audienti fuerunt. [3] Aegrotabat Caecina Paetus maritus eius, aegrotabat et filius, uterque mortifere, ut videbatur. Filius decessit eximia pulchritudine pari verecundia, et parentibus non minus ob alia carus quam quod filius erat. Huic illa ita funus paravit, ita duxit exsequias, ut ignoraret maritus; quin immo quotiens cubiculum eius intraret, vivere filium atque etiam commodiorem esse simulabat, ac persaepe interroganti, quid ageret puer, respondebat; 'Bene quievit, libenter cibum sumpsit.' Deinde, cum diu cohibitae lacrimae vincerent prorumperentque, egrediebatur; tunc se dolori dabat; satiata siccis oculis composito vultu redibat, tamquam orbitatem foris reliquisset. Praeclarum quidem illud eiusdem, ferrum stringere, perfodere pectus, extrahere pugionem, porrigere marito, addere vocem immortalem ac paene divinam: 'Paete, non dolet.' Sed tamen ista facienti, ista dicenti, gloria et aeternitas ante oculos erant; quo maius est sine praemio aeternitatis, sine praemio gloriae, abdere lacrimas operire luctum, amissoque filio matrem adhuc agere.[7] Scribonianus arma in Illyrico contra Claudium moverat; fuerat Paetus in partibus, et occiso Scriboniano Romam trahebatur. Erat ascensurus navem; Arria milites orabat, ut simul imponeretur. 'Nempe enim' inquit 'daturi estis consulari viro servulos aliquos, quorum e manu cibum capiat, a quibus vestiatur, a quibus calciatur; omnia sola praestabo.' Non impetravit: conduxit piscatoriam nauculam, ingensque navigium minimo secuta est. Eadem apud Claudium uxori Scriboniani, cum illa profiteretur indicium, 'Ego' inquit 'te audiam, cuius in gremio Scribonianus occisus est, et vivis?' Ex quo manifestum est ei consilium pulcherrimae mortis non subitum fuisse. Quin etiam, cum Thrasea gener eius deprecaretur, ne mori pergeret, interque alia dixisset: 'Vis ergo filiam tuam, si mihi pereundum fuerit, mori mecum?', respondit: 'Si tam diu tantaque concordia vixerit tecum quam ego cum Paeto, volo.' Auxerat hoc responso curam suorum; attentius custodiebatur; sensit et 'Nihil agitis' inquit; 'potestis enim efficere ut male moriar, ut non moriar non potestis.' Dum haec dicit, exsiluit cathedra

adversoque parieti caput ingenti impetu imegit et corruit. Focilata 'Dixeram' inquit 'vobis inventuram me quamlibet duram ad mortem viam, si vos facilem negassetis.' Videntur haec tibi maiora illo 'Paete, non dolet', ad quod per haec perventum est? cum interim illud quidem ingens fama, haec nulla circumfert. Unde colligitur, quod initio dixi, alia esse clariora alia maiora. Vale.

P. CORNELI TACITI ANNALIVM LIBER QVINTVS DECIMVS

[57] Atque interim Nero recordatus Volusii Proculi indicio Epicharin attineri ratusque muliebre corpus impar dolori tormentis dilacerari iubet. at illam non verbera, non ignes, non ira eo acrius torquentium, ne a femina spernerentur, pervicere, quin obiecta denegaret. sic primus quaestionis dies contemptus. postero cum ad eosdem cruciatus retraheretur gestamine sellae (nam dissolutis membris insistere nequibat), vinclo fasciae, quam pectori detraxerat, in modum laquei ad arcum sellae restricto indidit cervicem et corporis pondere conisa tenuem iam spiritum expressit, clariore exemplo libertina mulier in tanta necessitate alienos ac prope ignotos protegendo, cum ingenui et viri et equites Romani senatoresque intacti tormentis carissima suorum quisque pignorum proderent.

[63] Ubi haec atque talia velut in commune disseruit, complectitur uxorem, et paululum adversus praesentem fortitudinem mollitus rogat oratque temperaret dolori ne aeternum susciperet, sed in contemplatione vitae per virtutem actae desiderium mariti solaciis honestis toleraret. illa contra sibi quoque destinata mortem adseverat manumque percussoris exposcit. tum Seneca gloriae eius non adversus, simul amore, ne sibi unice dilectam ad iniurias relinqueret, "vitae" inquit "delenimenta monstraveram tibi, tu mortis decus mavis: non invidebo exemplo. sit huius tam fortis exitus constantia penes utrosque par, claritudinis plus in tuo fine." post quae eodem ictu brachia ferro exsolvunt. Seneca, quoniam senile corpus et parco victu tenuatum lenta effugia sanguini praebebat, crurum quoque et poplitum venas abrumpit; saevisque cruciatibus defessus, ne dolore suo animum uxoris infringeret atque ipse visendo eius tormenta ad impatientiam delaberetur, suadet in aliud cubiculum abscedere. et novissimo quoque momento suppeditante eloquentia advocatis scriptoribus pleraque tradidit, quae in vulgus edita eius verbis invertere supersedeo.

[64] At Nero nullo in Paulinam proprio odio, ac ne glisceret invidia crudelitas, [iubet] inhiberi mortem. hortantibus militibus servi libertique obligant brachia, premunt sanguinem, incertum an ignarae. nam, ut est vulgus ad deteriora promptum, non defuere qui crederent, donec implacabilem Neronem timuerit, famam sociatae cum marito mortis petivisse, deinde oblata mitiore spe blandimentis vitae evictam; cui addidit paucos postea annos, laudabili in maritum memoria et ore ac membris in eum pallorem albentibus, ut ostentui esset multum vitalis spiritus egestum.

Seneca interim, durante tractu et lentitudine mortis, Statium Annaeum, diu sibi amicitiae fide et arte medicinae probatum, orat provisum pridem venenum, quo d[am]nati publico Atheniensium iudicio exstingerentur, promeret; adlatumque hausit frustra, frigidus iam artus et cluso corpore adversum vim veneni. postremo stagnum calidae aquae introiit, respergens proximos servorum addita voce libare se liquorem illum Iovi liberatori. exim balneo inlatus et vapore eius exanimatus, sine ullo funeris sollemni crematur. ita codicillis praescripserat, cum etiam tum praedives et praepotens supremis suis consuleret.

AULI GELLI NOCTES ATTICAE, I

CAPITVLVM X

[1] Fauorinus philosophus adulescenti ueterum uerborum cupidissimo et plerasque uoces nimis priscas et ignotas in cotidianis communibusque sermonibus expromenti: 'Curius' inquit 'et Fabricius et Coruncanius, antiquissimi uiri, et his antiquiores Horatii illi trigemini plane ac dilucide cum suis fabulati sunt neque Auruncorum aut Sicanorum aut Pelasgorum, qui primi coluisse Italiam dicuntur, sed aetatis suae uerbis locuti sunt; [2] tu autem, proinde quasi cum matre Euandri nunc loquare, sermone abhinc multis annis iam desito uteris, quod scire atque intellegere neminem uis, quae dicas. Nonne, homo inepte, ut, quod uis, abunde consequaris, taces? [3] Sed antiquitatem tibi placere ais, quod honesta et bona et sobria et modesta sit. [4] Viue ergo moribus praeteritis, loquere uerbis praesentibus atque id, quod a C. Caesare, excellentis ingenii ac prudentiae uiro, in primo de analogia libro scriptum est, habe semper in memoria atque in pectore, ut "tamquam scopulum, sic fugias inauditum atque insolens uerbum".'

CAPITVLVM XIV

[1] Iulius Hyginus in libro de uita rebusque inlustrum uirorum sexto legatos dicit a Samnitibus ad C. Fabricium, imperatorem populi Romani, uenisse et memoratis multis magnisque rebus, quae bene ac beniuole post redditam

pacem Samnitibus fecisset, obtulisse dono grandem pecuniam orasseque, uti acciperet utereturque, atque id facere Samnites dixisse, quod uiderent multa ad splendorem domus atque uictus defieri neque pro amplitudine dignitateque lautum paratum esse. [2] Tum Fabricium planas manus ab auribus ad oculos et infra deinceps ad nares et ad os et ad gulam atque inde porro ad uentrem imum deduxisse et legatis ita respondisse: dum illis omnibus membris, quae attigisset, obsistere atque imperare posset, numquam quicquam defuturum; propterea se pecuniam, qua nihil sibi esset usus, ab his, quibus eam sciret usui esse, non accipere.

CAPITVLVM XXIII

[1] Historia de Papirio Praetextato dicta scriptaque est a M. Catone in oratione, qua usus est ad milites contra Galbam, cum multa quidem uenustate atque luce atque munditia uerborum. [2] Ea Catonis uerba huic prorsus commentario indidissem, si libri copia fuisset id temporis, cum haec dictaui. [3] Quod si non uirtutes dignitatesque uerborum, sed rem ipsam scire quaeris, res ferme ad hunc modum est: [4] Mos antea senatoribus Romae fuit in curiam cum praetextatis filiis introire. [5] Tum, cum in senatu res maior quaequam consultata eaque in diem posterum prolata est, placuitque, ut eam rem, super qua tractauissent, ne quis enuntiaret, priusquam decreta esset, mater Papirii pueri, qui cum parente suo in curia fuerat, percontata est filium, quidnam in senatu patres egissent. [6] Puer respondit tacendum esse neque id dici licere. [7] Mulier fit audiendi cupidior; secretum rei et silentium pueri animum eius ad inquirendum euerberat: quaerit igitur compressius uiolentiusque. [8] Tum puer matre urgente lepidi atque festiui mendacii consilium capit. Actum in senatu dixit, utrum uideretur utilius exque republica esse, unusne ut duas uxores haberet, an ut una apud duos nupta esset. [9] Hoc illa ubi audiuit, animus compauescit, domo trepidans egreditur ad ceteras matronas. [10] Peruenit ad senatum postridie matrum familias caterua; lacrimantes atque obsecrantes orant, una potius ut duobus nupta fieret, quam ut uni duae. [11] Senatores ingredienti in curiam, quae illa mulierum intemperies et quid sibi postulatio istaec uellet, mirabantur. [12] Puer Papirius in medium curiae progressus, quid mater audire institisset, quid ipse matri dixisset, rem, sicut fuerat, denarrat. [13] Senatus fidem atque ingenium pueri exosculatur, consultum facit, uti posthac pueri cum patribus in curiam ne introeant, praeter ille unus Papirius, atque puero postea cognomentum honoris gratia inditum 'Praetextatus' ob tacendi loquendique in aetate praetextae prudentiam.

EUTROPII BREVIARIUM AB URBE CONDITA LIBER PRIMUS

20 {1} Post viginti deinde annos Veientani rebellaverunt. Dictator contra ipsos missus est Furius Camillus, qui primum eos vicit acie, mox etiam civitatem diu obsidens cepit, antiquissimam Italiaeque ditissimam. Post eam cepit et Faliscos, non minus nobilem civitatem. Sed commota est ei invidia, quasi praedam male divisisset, damnatusque ob eam causam et expulsus civitate. {2} Statim Galli Senones ad urbem venerunt et victos Romanos undecimo miliario a Roma apud flumen Alliam secuti etiam urbem occupaverunt. Neque defendi quicquam nisi Capitolium potuit; quod cum diu obsedissent et iam Romani fame laborarent, *accepto auro, ne Capitolium obsiderent, recesserunt. Sed* a Camillo, qui in vicina civitate exulabat, Gallis superventum est gravissimeque victi sunt. {3} Postea tamen etiam secutus eos Camillus ita cecidit, ut et aurum, quod his datum fuerat, et omnia, quae ceperant, militaria signa revocaret. Ita tertio triumphans urbem ingressus est et appellatus secundus Romulus, quasi et ipse patriae conditor.

ALCUINI (CA. 730 – 804) DISPUTATIO DE RHETORICA ET DE VIRTUTIBUS SAPIENTISSIMI REGIS CARLI ET ALBINI MAGISTRI

K. Haec, venerande magister, iocunda esse et honesta fateor mihi que multum placabilia: sed, ut video et intellego, iugem exercitationem et cotidianum usum postulant, et ad plenam consummationem nisi continua meditatione et instanti exercitatione non possunt pervenire, sine qua nullam disciplinam inlustrem esse puto. A. Ita est, domine mi rex, ut dicis; nam exercitatio ingenium et naturam saepe vincit, et usus omnium magistrorum praecepta superabit. Quamobrem inventio et dispositio et elocutio et memoria et pronuntiatio usu acri et exercitatione intentissima convalescant; naturae enim vicem paene obtinet consuetudo. Nam in arte qualibet exercitata consuetudo confidentiam constantiamque procreat, sine qua nil ars proficit. Quid enim timidis arma? Amet laudem iuvenis, magnumque esse sciat multis tacentibus solum audiri; nam licet ipsa vitium sit ambitio, frequenter tamen causa virtutum est. Discat ab adolescentia non reformidare ante multos loqui, ut eum nec metus frangat nec ultra modum reverentia retardet, ut, dum omnibus oratoris sit opibus instructus, animi quoque praestantia et oris fiducia illi non desit. [43] K. Quapropter, ut mihi videtur, illis sermocinandi ratio, qui causis civilibus et negotiis saecularibus interesse aestimandi sunt, mox a pueritia multo studio habenda est vocis quoque et verborum exercitatio, ut ab ineunte aetate adsuescat vocis fiducia et verborum copia et decenti corporis motu, ut sine formidine faciat in publicis quaestionibus, quod cum consuetudine gessit in

privatis. A. Vere intellegis et optime prosequeris. Nam ut in castris miles, sic in domo orator debet erudiri, ut quod solus exercuerat, inter multos facere non formidet. K. Iam quoque necesse esse video, ut domesticus usus cavere incipiat, quod publicus conventus detrahare possit. Nec enim inhonestis verbis inter suos uti debet qui honestis inter alienos loqui desiderat, cum in omni parte vitae honestas pernecessaria est, maxime in sermonibus, quia fere cuiusque mores sermo probat, nisi tibi, magister, aliud videatur. A. Mihi vero de hac re nil aliud videri potest, ac ideo consuetudinaria sermocinatione verba sint lecta, honesta, lucida, simplicia, plano ore, vultu quieto, facie composita, sine inmoderato cachinno, clamore nullo prolata. Nam bonus modus est in loquendo, tamquam in ambulando, clementer ire, sine saltu, sine mora, quatenus omnia mediis moderaminis temperantia fulgeant, quae est una de quattuor virtutibus, de quibus ceterae quasi radicibus procedant virtutes, in quibus animae est nobilitas, vitae dignitas, morum honestas, laus disciplinae. K. Intellego philosophicum illud proverbium non solum moribus, sed etiam verbis esse necessarium. A. Quodnam? K. Ne quid nimis. A. Est et vere est in omni re necessarium, quia quidquid modum excedit, in vitio est. Ideo virtutes in medio sunt positae, de quibus tuae venerandae auctoritati plura dicere potuissem, si non disputatio nostra ad finem festinaret, et si non superfluum videretur tecum de virtutibus agere, quem virtutum non tantum scientia, sed etiam ornat efficientia. [44] K. Non tamen te, magister, prius dimittam calamum responsionis claudere, quam mihi nomina et partes quattuor virtutum exponas, quas radices aliarum esse virtutum dixisti. Paulo ante inter nos constitit, sermocinationis exercitationem esse necessariam: in quo melius est habendum sermonis studium quam in virtutum excellentia, quae utrumque et scribentibus et legentibus multum prodesse valet? A. Prodest, ut dicis, domine mi rex, sed inter utrumque coartor; nam succinta brevitatis pauca postulat et res ardua plura desiderat. K. Tempera te in utrumque, ne aut prolixitas fastidium aut brevitatis ignorantiam generet. A. Primo sciendum est, quod quaedam res tam clarae et tam nobiles sunt, ut non propter aliud emolumentum expetendae sint, sed propter suam solummodo dignitatem amandae sunt et exsequendae. K. Has ipsas res magnopere velim cognoscere. A. Hae sunt: virtus, scientia, veritas, amor bonus. K. Numquid non has christiana relegio adprime laudat? A. Laudat et colit. K. Quid philosophis cum his? A. Has intellexerunt in natura humana et summo studio coluerunt. K. Quid tunc distat inter philosophum talem et christianos? A. Fides et baptismus. K. Prosequere tamen philosophicas definitiones de virtutibus et primum dic, quae sit ipsa virtus. A. Virtus est animi habitus, naturae decus, vitae ratio, morum nobilitas. K. Quot habet partes? A. Quattuor: prudentiam, iustitiam, fortitudinem, temperantiam. [44] K. Quae est prudentia? A. Rerum et naturarum scientia. K. Quot habet partes? A. Tres: memoriam, intellegentiam, providentiam. K. Harum quoque definitiones dicito. A. Memoria est, per quam animus repetit illa quae fuerunt: intellegentia, per

quam ea perspicit quae sunt: providentia, per quam futurum aliquid praevidetur ante quam fiat. K. Iustitiae rationem expone. A. Iustitia est habitus animi unicuique rei propriam tribuens dignitatem: in hac divinitatis cultus et humanitatis iura et aequitas totius vitae conservatur. K. Eius quoque partes pande. A. Partim illa est ex naturae iure, partim ex consuetudinis usu. K. Quomodo ex naturae iure? A. Quia partes illius quaedam naturae vis inserit, ut relegionem, pietatem, gratiam, vindicationem, observantiam, veritatem. K. De his singulis lucidius aperi. A. Relegio est, quae superioris cuiusdam naturae, quam divinam vocant, curam ceremoniamque affert: pietas, per quam sanguine coniunctis patriaeque benivolis officium et diligens tribuitur cultus: gratia, in qua amicitiarum et officiorum alterius memoria et remunerandi voluntas continetur: vindicatio, per quam vis aut iniuria et omnino omne quod offuturum est defendendo aut ulciscendo propulsatur: observantia, per quam homines aliqua dignitate antecedentes cultu quodam et honore dignantur: veritas, per quam ea quae sunt aut ante fuerunt aut futura sunt dicuntur. K. Quomodo ex consuetudinis usu iustitia servatur? A. Ex pacto, pari, iudicato et lege. K. Plus quaero et de his quoque. A. Pactum est, quod inter aliquos convenit: par in omnes aequabile est: iudicatum, quod alicuius magni viri aut aliquorum sententiis constitutum est: lex est omni populo scriptum ius, quid cavere vel quid observare debeat. [45] K. Nunc fortitudinem cum suis partibus ut depromas flagito. A. Fortitudo est magno animo periculorum et laborum perpessio: eius partes sunt magnificentia, fidentia, patientia, perseverantia. K. Harum rationes patefac. A. Magnificentia est rerum magnarum et excelsarum cum animi ampla quadam et splendida propositione cogitatio atque administratio: fidentia est, per quam magnis et honestis in rebus multum animus in se fiduciae certa cum spe conlocavit: patientia est honestatis aut utilitatis causa rerum arduarum aut difficilium voluntaria ac diuturna perpessio: perseverantia est in ratione bene considerata stabilis et perpetua permansio. K. Restat tibi de temperantia dicere, a qua orta est nobis de virtutibus inquisitio, cuius proprietatem et partium illius audire expecto. A. Temperantia est rationabilis in libidinem atque in alios non rectos impetus animi firma et moderata dominatio: eius partes sunt continentia, clementia, modestia. Continentia est, per quam omnis mala cupiditas magna consilii gubernatione regitur et deprimatur: clementia est, per quam iniuriae et odia miti animo retinentur: modestia est, per quam totius vitae modus seu animi seu in corporis motibus ubique honesti cura servatur.

ABELARDI HISTORIA CALAMITATUM SUARUM:

QUOMODO IN AMOREM HELOYSE LAPSUS VULNUS INDE TAM MENTIS QUAM CORPORIS TRAXIT

Erat quippe in ipsa civitate Parisius adolescentula quedam nomine Heloysa, neptis canonici cuiusdam qui Fulbertus vocabatur, qui eam quanto amplius diligebat tanto diligentius in omnem qua poterat scientiam litterarum promoveri studuerat. Que cum per faciem non esset infima, per habundantiam litterarum erat suprema. Nam quo bonum hoc litteratorie scilicet scientie in mulieribus est rarius, eo amplius puellam commendabat et in toto regno nominatissimam fecerat. Hanc igitur, omnibus circumspectis que amantes allicere solent, commodiorem censui in amorem mihi copulare, et me id facillime credidi posse. Tanti quippe tunc nominis eram et iuventutis et forme gratia preminebam, ut quamcunque feminarum nostro dignarer amore nullam vererer repulsam. Tanto autem facilius hanc mihi puellam consensuram credidi, quanto amplius eam litterarum scientiam et habere et diligere noveram; nosque etiam absentes scriptis internuntiis invicem liceret presentare et pleraque audacius scribere quam colloqui, et sic semper iocundis interesse colloquiis.

In huius itaque adolescentule amorem totus inflamatus, occasionem quesivi qua eam mihi domestica et cotidiana conversatione familiarem efficerem et facilius ad consensum traherem. Quod quidem ut fieret, egi cum predicto puelle avunculo, quibusdam ipsius amicis intervenientibus, quatinus me in domum suam, que scolis nostris proxima erat, sub quocumque procurationis precio susciperet, hanc videlicet occasionem pretendens, quod studium nostrum domestica nostre familie cura plurimum prepediret, et impensa nimia nimium me gravaret. Erat autem cupidus ille valde atque erga neptim suam, ut amplius semper in doctrinam proficeret litteratoriam, plurimum studiosus. Quibus quidem duobus facile eius assensum assecutus sum et quod obtabam obtinui, cum ille videlicet et ad pecuniam totus inhiaret et neptim suam ex doctrina nostra aliquid percepturam crederet. Super quo vehementer me deprecatus, supra quam sperare presumerem votis meis accessit, et amori consuluit, eam videlicet totam nostro magisterio committens, ut quotiens mihi a scolis reverso vaccaret, tam in die quam in nocte ei docende operam darem, et eam si negligentem sentirem vehementer constringerem. In qua re quidem, quanta eius simplicitas esset vehementer ammiratus, non minus apud me obstupui quam si agnam teneram famelico lupo committeret. Qui cum eam mihi non solum docendam, verum etiam vehementer constringendam traderet, quid aliud agebat quam ut votis meis licentiam penitus daret, et occasionem, etiam si nollemus, offerret, ut quam videlicet blanditiis non possem, minis et verberibus facilius flecterem. Sed duo erant que eum maxime

a turpi suspitione revocabant, amor videlicet neptis, et continentie mee fama preterita.

Quid plura? Primum domo una coniungimur, postmodum animo. Sub occasione itaque discipline, amori penitus vacabamus, et secretos recessus, quos amor optabat, studium lectionis offerebat. Apertis itaque libris, plura de amore quam de lectione verba se ingerebant, plura erant oscula quam sententie; sepius ad sinus quam ad libros reducebantur manus, crebrius oculos amor in se reflectebat quam lectio in scripturam dirigebat. Quoque minus suspicionis haberemus, verbera quandoque dabat amor, non furor, gratia, non ira, que omnium ungentorum suavitatem transcenderent. Quid denique? Nullus a cupidis intermissus est gradus amoris, et si quid insolitum amor excogitare potuit, est additum; et quo minus ista fueramus experti gaudia, ardentius illis insistebamus, et minus in fastidium vertebantur.

Et quo me amplius hec voluptas occupaverat, minus philosophie vacare poteram et scolis operam dare. Tediosum mihi vehementer erat ad scholas procedere vel in eis morari; pariter et laboriosum, cum nocturnas amori vigilias et diurnas studio conservarem. Quem etiam ita negligentem et tepidum lectio tunc habebat, ut iam nichil ex ingenio sed ex usu cuncta proferrem, nec iam nisi recitator pristinorum essem inventorum, et si qua invenire liceret, carmina essent amatoria, non philosophie secreta; quorum etiam carminum pleraque adhuc in multis, sicut et ipse nosti, frequentantur et decantantur regionibus, ab his maxime quos vita similis oblectat. Quantam autem mestitiam, quos gemitus, que lamenta nostri super hoc scholares assumerent, ubi videlicet hanc animi mei occupationem immo perturbationem presenserunt, non est facile vel cogitare.

Paucos enim iam res tam manifesta decipere poterat, ac neminem, credo, preter eum ad cuius ignominiam maxime id spectabat, ipsum videlicet puelle avunculum. Cui quidem hoc cum a nonnullis nonnumquam suggestum fuisset, credere non poterat, tum, ut supra memini, propter immoderatam sue neptis amicitiam, tum etiam propter ante acte vite mee continentiam cognitam. Non enim facile de his quos plurimum diligimus turpitudinem suspicamur, nec in vehementi dilectione turpis suspitionis labes potest inesse. [...]

O quantus in hoc cognoscendo dolor avunculi! quantus in separatione amantium dolor ipsorum! quanta sum erubescencia confusus! quanta contritione super afflictione puelle sum afflictus! quantos meroris ipsa de verecundia mea sustinuit estus! Neuter quod sibi, sed quod alteri contigerat querebatur; neuter sua, sed alterius plangebat incommoda. Separatio autem hec corporum maxima erat copulatio animorum, et negata sui copia amplius amorem accendebat, et verecundie transacta iam passio inverecundiores

reddebat; tantoque verecundie minor extiterat passio quanto convenientior videbatur actio. Actum itaque in nobis est quod in Marte et Venere deprehensis poetica narrat fabula. Non multo autem post, puella se concepisse comperit, et cum summa exultatione mihi super hoc ilico scripsit, consulens quid de hoc ipse faciendum deliberarem. Quadam itaque nocte, avunculo eius absente, sicut nos condixeramus, eam de domo avunculi furtim sustuli et in patriam meam sine mora transmisi; ubi apud sororem meam tam diu conversata est donec pareret masculum quem Astralabium nominavit.

Avunculus autem eius post ipsius recessum quasi in insaniam conversus, quanto estuaret dolore, quanto afficeretur pudore, nemo nisi experiendo cognosceret. Quid autem in me ageret, quas mihi tenderet insidias, ignorabat. Si me interficeret seu in aliquo corpus meum debilitaret, id potissimum metuebat ne dilectissima neptis hoc in patria mea plecteretur. Capere me et invitum alicubi coercere nullatenus valebat, maxime cum ego mihi super hoc plurimum providerem, quod eum, si valeret vel auderet, citius agredi non dubitarem.

Tandem ego eius immoderate anxietati admodum compatiens, et de dolo quem fecerat amor tanquam de summa prodicione me ipsum vehementer accusans, conveni hominem supplicando et promittendo quamcunque super hoc emendationem ipse constitueret, nec ulli mirabile id videri asserens, quicumque vim amoris expertus fuisset, et qui quanta ruina summos quoque viros ab ipso statim humani generis exordio mulieres deiecerint memoria retineret. Atque ut amplius eum mitigarem supra quam sperare poterat, obtuli me ei satisfacere, eam scilicet quam corruperam mihi matrimonio copulando, dummodo id secreto fieret, ne fame detrimentum incurrerem. Assensit ille, et tam sua quam suorum fide et osculis eam quam requisivi concordiam mecum iniit, quo me facilius proderet.

DEHORTATIO SUPRADICTE PUELLE A NUPTIIS

Illico ego ad patriam meam reversus amicam reduxi ut uxorem facerem, illa tamen hoc minime approbante, immo penitus duabus de causis dissuadente, tam scilicet pro periculo quam pro dedecore meo. Iurabat illum nulla unquam satisfactione super hoc placari posse, sicut postmodum cognitum est. Querebat etiam quam de me gloriam habitura esset, cum me ingloriosum efficeret, et se et me pariter humiliaret. Quantas ab ea mundus penas exigere deberet, si tantam ei lucernam auferret; quante maledictiones, quanta dampna ecclesie, quante philosophorum lacrimae hoc matrimonium essent sequutur. Quam indecens, quam lamentabile esset, ut quem omnibus natura creaverat, uni me femine dicarem et turpitudini tante subicerem. Detestabatur vehementer hoc matrimonium, quod mihi per omnia probrosum esset atque honerosum. Pretendebat infamiam mei pariter et difficultates matrimonii, ad

quas quidem vitandas nos exortans Apostolus ait: "Solutus es ab uxore? noli querere uxorem. Si autem acceperis uxorem, non peccasti; et si nupserit virgo, non peccabit. Tribulationem tamen carnis habebunt huiusmodi. Ego autem parco vobis, etc..." Item: "Volo autem vos sine sollicitudine esse, etc..." Quod si nec Apostoli consilium nec sanctorum exhortationes de tanto matrimonii iugo suscipere saltem, inquit, philosophos consulerem, et que super hoc ab eis vel de eis scripta sunt attenderem; quod plerumque etiam sancti ad increpationem nostram diligenter faciunt. [...]

Ut autem hoc philosophici studii nunc omittam impedimentum, ipsum consule honeste conversationis statum. Que enim conventio scolarium ad pedissequas, scriptoriorum ad cunabula, librorum sive tabularum ad colos, stilorum sive calamorum ad fusos? Quis denique sacris vel philosophicis meditationibus intentus, pueriles vagitus, nutricum que hos mittigant nenias, tumultuosam familie tam in viris quam in feminis turbam sustinere poterit? Que etiam inhonestas illas parvulorum sordes assiduas tolerare valebit? Id, inquires, divites possunt, quorum palatia vel domus ample diversoria habent, quorum opulentia non sentit expensas nec cotidianis sollicitudinibus cruciatur. Sed non est, inquam, hec conditio philosophorum que divitum, nec qui opibus student vel secularibus implicantur curis divinis seu philosophicis vacabunt officiis.

Unde et insignes olim philosophi mundum maxime contemnentes, nec tam relinquentes seculum quam fugientes, omnes sibi voluptates interdixerunt ut in unius philosophie requiescerent amplexibus. [...] Addebat denique ipsa et quam periculosum mihi esset eam reducere, et quam sibi carius existeret mihi que honestius amicam dici quam uxorem ut me ei sola gratia conservaret, non vis aliqua vinculi nuptialis constringeret. Tantoque nos ipsos ad tempus separatos gratiora de conventu nostro percepere gaudia, quanto rariora. Hec et similia persuadens seu dissuadens, cum meam deflectere non posset stultitiam nec me sustineret offendere, suspirans vehementer et lacrimans perorationem suam tali fine terminavit: "Unum, inquit, ad ultimum restat ut in perditione duorum, minor non succedat dolor quam precessit amor." Nec in hoc ei, sicut universus agnovit mundus, prophecie defuit spiritus.

Nato itaque parvulo nostro, sorori mee commendato, Parisius occulte revertimur; et, post paucos dies, nocte secretis orationum vigiliis in quadam ecclesia celebratis, ibidem, summo mane, avunculo eius atque quibusdam nostris vel ipsius amicis assistentibus, nuptiali benedictione confederamur; moxque occulte divisim abscessimus, nec nos ulterius nisi raro latenterque vidimus, dissimulantes plurimum quod egeramus. Avunculus autem ipsius atque domestici eius, ignominie sue solatium querentes, initum matrimonium divulgare et fidem mihi super hoc datam violare ceperunt; illa autem e contra

anathematizare et iurare quia falsissimum esset. Unde vehementer ille commotus crebris eam contumeliis afficiebat.

Quod cum ego cognovissem, transmisi eam ad abbatiam quandam sanctimonialium prope Parisius, que Argenteolum appellatur, ubi ipsa olim puellula educata fuerat atque erudita, vestesque ei religionis que conversationi monastice convenirent, excepto velo, aptari feci et his eam indui. Quo audito, avunculus et consanguinei seu affines eius opinati sunt me nunc sibi plurimum illuisse, et ab ea moniali facta me sic facile velle expedire. Unde vehementer indignati et adversum me coniurati, nocte quadam quiescentem me atque dormientem in secreta hospicii mei camera, quodam mihi serviente per pecuniam corrupto, crudelissima et pudentissima ultione punierunt, et quam summa ammiratione mundus excepit, eis videlicet corporis mei partibus amputatis quibus id quod plangebant commiseram. Quibus mox in fugam conversis, duo qui comprehendi potuerunt oculis et genitalibus privati sunt, quorum alter ille fuit supradictus serviens qui, cum in obsequio meo mecum maneret, cupiditate ad prodicionem ductus est.

IOHANNIS DE CAPUA (1262/1278) DIRECTORIUM HUMANAЕ VITAE ALIAS PARABOLAE ANTIQUORUM SAPIENTUM

Fertur fuisse in provincia de Sendebat mercator valde dives. Habebat autem tres filios; qui cum crevissent, non curaverunt conservare divitias sui patris, sed eas consumere et dispegere nitebantur, nec ceperunt modum scientiae bona patris conservare. Et vocans pater eos ad se cepit eos super hoc castigare dicens eis: Filii mei, scitote quoniam homo huius mundi debet tria quaerere, quae haberi non possunt nisi per quattuor. Tria, quae debet homo quaerere, illa sunt, scilicet, victus suus, et eius status inter homines, et se pro suo fine praemuniri. Quattuor vero, cum quibus debet illa tria acquirere, sunt, ut acquirat bona cum aequitate et iusticia, et sciat uti eis in his quae sunt, ei necessaria, et ut habeat mercedem inde in futuro seculo. Nunc autem qui de istis mandatis unum obmittit, non obtinebit nec ei annuetur quod intendit. Quoniam si habuerit divitias et substantias multas, et non utatur eis in his quae oportet, et illas nescit conservare, cito consumitur et remanet absque divitiis. Et si eas relinquit, et nescit eas negociari et mercari et in eis addere, cito abiunt, quamvis non utatur de illis nisi modicum; sicut collerium oculorum, de quo non accipitur nisi modicum ac pro tanto non permanebit quin deficiat. Si quis autem divitias et bona acquirat, et restrinxerit manum suam ab eis, nisi eius usus fuerit in hiis quae sunt opportuna, quasi pauper qui nihil habet reputabitur, nec pro tanto evadet ut sua bona non consumantur et

deficiant; sicut amphora plena musto, quae si meatum non habuerit unde respiret, rumpetur et tunc undique mustum egredietur. Et factum est, cum audirent filii mercatoris mandatum sui patris, apposuerunt curam observare praeceptum patris. Et cum iret maior eorum in mercatione in contrada quae dicitur Mathor, transivit per quandam viam malam et angustam, qua erat molle lutum; et ducebat duos boves; nomen unius erat Senesba, alterius vero Chenedba. Et demersus Senesba in lutum, eductus est inde postquam pervenit fere mortis periculum, prostratus atque remissus. Et dimisit eum apud quendam notum suum rogans illum custodire sibi, donec restitueretur ad vires suas; et tunc signaret ei. Post vero aliquos dies recessit vir de loco, et relicto ibi bove, significavit amico suo quoniam mortuus esset. Porro autem Senesba recessit inde, et recedens paulisper ad magnam pervenit planiciem et bona pascua et a timore exempta: timebat enim, nequando amplius perveniret ei malum, ne forte accideret ei sicut accidit cuidam, de quo dicitur. Quoniam cum exiret bos ad silvam pro pascuis, supervenit ei lupo, et sequebatur eum, ipso non percipiente; donec appropinquaret ad eum. Cum vidisset eum, timuit; et fugiens abiit ad civitatem prope flumen: quo cum pervenisset, invenit pontem fractum; et eum lupo sequebatur. Et ait in corde suo: Quid faciam? Lupo sequitur me: flumen vero profundum est, pons confractus, nescio natare per aquam. Non est mihi melius nisi me in flumine proicere, et homines me videntes forsitan salvum faciant. Et corruit in aquam; videntesque homines civitatis ipsum festinaverunt ei succurrere cum viris qui salvarent ipsum.

Et cum ipsum eduxissent de flumine semimortuum, appodiavit se cuidam parieti; et in ipso recreato spiritu, cepit narrare astantibus omnia quae sibi acciderant, et a quibus Deus ipsum liberavit; et dum eis hoc narraret, paries cecidit super eum, et fere mortuus est.

Post vero paucos dies restitutus Senesba ad suas vires et impinguatus cepit mugire. Erat autem prope locum illum leo, qui regnabat in tota illa regione: erant autem plures ferae, scilicet luporum ursorum et volpium et aliorum huiusmodi in suo comitatu. Erat autem leo magnanimus in suis negociis, singularis in suo consilio; et cum audiret leo hanc vocem bovis mugientis horribiliter, expavit valde et tremuit, cum in diebus [B5r] suis non audivisset vocem bovis, nec vidisset ipsum. Et retinens hunc timorem in mente noluit alicui revelare; nec exhibat de loco prae timore. Erant autem in sua familia duo animalia fratres et socii; nomen unius erat Kelila, alterius vero Dimna. Ait Dimna Kelilae: Nonne respicis frater, quoniam leo non recedit de suo habitaculo, nec agit quae agere solebat? Cui respondit Kelila: Quid te, frater, de hoc investigare cogit et monet, quod non est necessarium, cum tua non interest huiusmodi quaerere, cum simus in curia regis nostri tranquilli et pacifici? habemus enim ea quae volumus, nec nobis deficit aliquid eorum, quae nostrae sunt opportunitatis; nec sumus in isto statu, quo regi loqui

debeamus de materia sua. Desine, frater, ab hoc proposito quod intendis Scire enim debes, quoniam quicumque submittit se causae, quae suae non est facultatis in verbo et opere, nec est suae expeditionis, dignum est ei accidere, quod accidit symeo. Ait Dimna dicens: Quomodo fuit? Inquit Kelila:

Erat quidam symeus, qui quendam vidit carpentarium scindentem lignum in quadam planicie, et cum super lignum ascenderet, scindebat quasi uno cubito, apponendo unum paxillum et educendo alterum. Et videns hoc symeus aestimavit facere sicut carpentarius faciebat; et cum inde carpentarius descendisset pro suis negociis, festinavit symeus ad lignum, et ascendens super illud apposuit sua posteriora versus scissuram ligni, faciem vero versus paxillum. Et cum essent repositae ambae eius testiculæ in medio scissurae eius, cepit facere ad modum carpentarii, educendo et interponendo paxillos; cunque sic faceret, ultimo paxillo extracto, propter brevitatem crurium restrictae sunt eius testiculæ in scissura; et oppressit se. Et sic clamante symeo prae nimio dolore, advenit carpentarius et percussit symeum; ita quod propter eius imperitiam suscepit verbera et oppressionis dolorem.

LUDOVICI HOLBERGI NICOLAI KLIMII ITINERE SUBTERRANEO

IV Tandem ad urbem regiam Potu ventum est. Magnifica quidem ac speciosa urbs est. Aedificia ibi porrectiora sunt Kebanis, strataque magis patula et commodiora. Primum, ad quod delati sumus, forum ingenti mercatorum copia erat frequens, artificumque et opificum tabernis undique cinctum. Videbam attonitus in medio fori noxium quendam, collo in laqueum inserto stantem, et ingenti gravissimarum arborum corona, quae speciem senatus praebuit, circumdatum.

Quaerenti mihi, quid rei esset ac quam ob noxam suspendium meruisset, in primis cum nullum crimen in his terris sit capitale? respondetur, reum hunc esse novatorem (Proiect-Macher), qui abrogationem veteris cuiusdam consuetudinis suaserat, circumstantes esse iureconsultos et senatores, qui novum commentum more solito examinarent, ita ut, si bene digestum, ac reipublicae salutare deprehensum foret, reus non modo absolvendus, sed et remunerandus esset; si vero damnosum publico, aut si novator ad proprium commodum ista legis antiquatione collineare videretur, gula eiusdem, uti reipublicae perturbatoris, mox laqueo frangeretur.

Et haec est causa, cur pauci hanc aleam iacere, aut legis cuiusdam abrogationem suadere audeant, nisi res adeo aequa sit ac liquida, ut de successu dubitari nequeat. Adeo existimant subterranei, servandas esse leges veteres, et maiorum instituta in honore habenda; credunt quippe nutare

republicam, si ad cuiusvis libidinem mutantur aut antiquentur. Tunc ego mecum: Hei! quid de novatoribus nostri orbis hic fieret, qui sub specie publicae utilitatis quotidie novas meditantur leges, non statui publico, sed privatis quaestibus ancillantes?

Tandem in spatiosam domum introducimur, solitum iis receptaculum, qui e seminariis totius Principatus emancipantur. Ex eadem domo educuntur Principi sistendi. Dux noster, sive Karatti, accinctos nos stare iubet, dum digrediatur, adventum nostrum Principi nuntiaturus. Vix egressus erat ille, cum ingens aures nostras ferit clamor, qualis triumphantium esse solet, mox tiliarum sonitu ac tympanorum strepitu omnia personabant. Excitati ad hunc strepitum, et foras egressi, conspicamur arborem quandam, magnifico comitatu incedentem, coronaque e floribus contexta redimitam, moxque patuit, eundem esse civem, quem collo in laqueum inserto stantem nuper in foro videramus.

Causa triumphi erat approbatio legis, quam capitis periculo suaserat. At quibus argumentis veterem ille legem impugnaverit, non mihi innotuit, nec ullo modo ad notitiam meam pervenire potuit ob taciturnitatem incolarum, qua fit, ut minima res, quae ad statum publicum pertinet, aut in senatu peragitur, plebem lateat; aliter ac fieri solet apud nos, ubi Senatusconsulta et consiliorum conclusa in cauponis ac triviis postridie narrantur, discutiuntur, notantur.

ANTONI GALATEI DE FERRARIIS DE EDUCATIONE

Nos Itali ante adventum barbarorum quando inter nos ipsos, non ut hostes sed ut competitores mitius bella gerebamus, et militares peditum et equitum vestes, seniles et iuveniles, viriles et muliebres. Et matronae viriles togas, pallia et tunicas, pileos, balteos, zonas seu cingulos, et quovis alio nomine appellare, a viris acceperunt: nihil restat nisi gladios et sicas et galeas capiant. Hinc omnis morum corruptela, ex his initiis infrenis et impudens licentia, hinc illud uxorum in viros imperium paulatim natum est, nemo enim repente fuit turpissimus, et haec quoque Francorum Gothorumque documenta sunt.

Abiciat igitur inclytus adolescens gallicos habitus inhonestos, impudicos, indecentes, nedum viris, sed etiam mulieribus, quas velato non solum pectore sed capite incedere iubet divus Augustinus. Tu vir vis haberi, et gaudes ostendere candidam cervicem, humeros, pectus et mammillas. O rem non modo risu sed pudore dignam! Videre istos muliebres adolescentes et iuvenes, immo et senes, aliena aut nigranti coma, incana barba, velatis manibus, nudato pectore. Certe mirari licet terrae hispanicae fertilitatem: mira est fecunda capitis natura, videmus nocte calvos, die capillatos.

CAIUS MARCIUS CORIOLANUS

Caius Marcius gentis patriciae, a captis Coriolis urbe Volscorum Coriolanus dictus est. Patre orbatus adhuc puer sub matris tutela adolevit. Sortitus erat a natura nobiles ad laudem impetus; sed quia doctrina non accessit, irae impotens, obstinataeque pervicaciae fuit. Cum prima stipendia facere coepisset adolescens, e multis proeliis quibus interfuit nunquam rediit, nisi donatus coroni aliove militari praemio. In omni vitae ratione nihil aliud sibi proponebat quam ut matri placeret: cumque illa audiret filium laudari, aut corona donari videret, tum demum felicem se putabat. Ea oblectanda et colenda satiari non poterat. Illa cupiente, uxorem duxit: illius in aedibus cum uxore habitavit.

Coriolanum, post victoriam ejus opera maxime partam, Posthumius consul apud milites laudavit: eum militaribus donis onerare voluit; agri centum jugera, decem captivos, totidem ornatos equos, centum boves et argenti pondus quantum sustinere potuisset, offerebat. Coriolanus vero nihil ex his omnibus accepit, praeter unius hospitis captivi salutem et equum. Consul factus, gravi annona advectum e Sicilia frumentum magno pretio, dandum populo curavit, ut plebs agros, non seditiones coleret. Qua de causa damnatus ad Volscos concessit, eosque adversus Romanos concitavit. Imperator a Volscis factus, ad quartum ab urbe lapidem castra posuit, et agrum Romanum est populatus.

Missi sunt Roma ad Coriolanum oratores de pace, sed atrox responsum retulerunt; iterum deinde missi, ne in castra quidem recepti sunt. Sacerdotes quoque suis infulis velati ad eum iverunt supplices, nec magis animum ejus flexerunt: stupebat senatus, trepidabat populus, viri pariter ac mulieres exitium imminens lamentabantur. Tum Veturia Coriolani mater, et Volumnia uxor duos parvos filios secum trahens, castra hostium petierunt. Ubi matrem aspexit Coriolanus: "O patria inquit, vicisti iram meam admotis matris meae precibus, cui tuam in me injuriam condono." Complexus inde suos castra movit, et exercitum ex agro Romano abduxit. Coriolanus postea a Volscis, ut proditor, occisus dicitur.

MANIUS CURIUS

Manius Curius contra Samnites profectus eos ingenibus proeliis vicit concione ait. Romam regressus in concione ait "Tantum agri cepi, ut solitudo futura fuerit, nisi tantum hominum cepissem: tantum porro hominum cepi, ut fame perituri fuerint, nisi tantam agri cepissem." Ex tam opulenta victoris, adeo

ditari noluit, ut quam a malevolis interversae pecuniae argueretur, gutto ligneo, quo uti ad sacrificia consueverat, in medium prolato iuraverit se nihil amplius de praeda hostili in domum suam intulisse. Legatis Samnitum aurum offerentibus, cum ipse rapas in foco torreret, "Malo, inquit, haec in fictilibus meis esse, et aurum habentibus imperare." Agri captivi septena jugera populo viritim divisit: cumque ei senatus jugera quinquaginta assignaret, plus accipere noluit, quam singulis fuerat datum, dixitque malum esse civem, cui non idem quod aliis satis esse posset.

Postea Curius consul creatus adversus Pyrrhum missus est: cumque ea de causa delectum haberet, et juniores taedio belli nomina non darent, coniectis in sortem omnibus tribubus, primum nomen urna extractum citari jussit. Cum adolescens non responderet, bona ejus hastae subjecit. Tunc ille ad tribunos plebis cucurrit, de injuria sibi facta graviter querens, eorumque opem implorans. At Curius et bona ejus et ipsum quoque vendidit, dixitque non esse reipublicae opus eo cive qui parere nesciret: neque tribuni plebis adolescenti auxilio fuerunt; posteaque res in consuetudinem abiit, ut delectu rite acto qui militiam detractaret, in servitutem venderetur. Hoc terrore ceteri adacti nomina promptius dederunt.

His copiis Curius Pyrrhi exercitum cecidit, deque eo rege triumphavit. Insignem triumphum fecerunt quatuor elephanti cum turribus suis tum primum Romae visi. Victus rex in Epirum reversus est; sed relicto in urbe Tarentina praesidio fidem sui reditus fecerat. Itaque cum bellum renovaturus putaretur, Manium Curium iterum consulem fieri placuit; sed inopinata mors regis Romanos metu liberavit. Pyrrhus enim, dum Argos oppugnat, urbem jam ingressus, a juvene quodam Argivo lancea leviter vulneratus est: mater adolescentis anus paupercula cum aliis mulieribus e tecto domus proelium spectabat; quae, cum vidisset Pyrrhum in auctorem vulneris suo magno impetu ferri, periculo filii sui commota protinus tegulam corripuit, et utraque manu in caput regis dejecit.

CAIUS DUILIUS

Caius Duilius Poenos navali proelio primus devicit. Is cum videret naves Romanas a Punicis velocitate superari, manus ferreas, quas corvos vocare, instituit. Ea machina Romanis magno usui fuit nam injectis illis corvis hostilem navem apprehendebant, deinde superjecto ponte in eam insiliebant, et gladio velut in pugna terrestri dimicabant; unde Romanis, qui robore praestabant facilis victoria fuit. Inter pugnandum triginta hostium naves captae sunt, tredecim mersae. Duilius victor Romam reversus est, et primus navalem triumphum egit. Nulla victoria Romanis gratior fuit, quod invicti terra jam etiam mari plurimum possent. Itaque Duilio concessum est ut per omnem vitam praelucente funali et praecinente tibicine a cena publice rediret.

Annibal dux classis Punicae e navi, quae jam capienda erat, in scapham saltu se demisit, et Romanorum manus effugit. Veritus autem ne in patria classis amissae poenas daret, civium offensam astutia avertit: nam ex illa infelici pugna priusquam cladis nuncius domum perveniret, quemdam ex amicis Carthaginem misit; qui curiam ingressus: Vos, inquit, consulit Annibal, cum dux Romanorum magnis copiis maritimis instructus advenerit, an cum eo conflare debeat? Acclamavit universus senatus: "Non est dubium quin confluendum sit." Tum ille: "Fecit, inquit, et victus est." Ita non potuerunt factum damnare quod ipsi fieri debuisse judicaverant. Sic Annibal victus crucis supplicium effugit: nam eo poenae genere dux, re male gesta, apud Poenos afficiebatur.